


Rozprawy
o panowaniu Jana Kazimierza
króla polskiego
odnoszące się

Od Bartynows. za 5 złr.

Książka dezynfekowana

Po przeglądnięciu
umyć ręce

17 *r)* S. R. M. Sueciae binae literae, priores ad S. R. M. Christ. et posteriores ad Gen. Ordines foed. Belgii, contra causas expeditionis in Zelandiam contra reg. Daniae. b. m. i r. (k. n. l. 4)

18 *s)* Resurrectio Poloniae auxilio aquilae. b. m. 1658. (k. n. l. 2)

19 *t)* Epistola amici ad amicum de causis renascentium dissidiorum Sueco-Danicorum. Hamburgi 1658. (str. 10)

20 *u)* Brevis discussio querelarum, quae per regis christ. legatos et internuntios contra augustiss. Imp. Ferdinandum III. propositae sunt. b. m. 1657. (str. 20)

21 *v)* Labores electorii sive solennia electionis et consecrationis. b. m. 1658. (str. 30)

22 *y)* S. R. M. Sueciae commissariorum responsum ad literas legatorum electoralium Brandeburgicorum. b. m. 1659. (k. n. l. 24)

23 *z)* Censura censurae in collegium electorale amicae. b. m. 1658. (str. 44)

24 *aa)* Biorenklou Math., Memoriale ad eminentiss. sereniss. S. R. I. electores. b. m. 1658. (str. 32)

25 *bb)* Peyrer Isa. Epistola ad Philotimum, qua exponit rationes propter quas ejuraverit sectam Calvini et librum de Praeadamitis quem ediderat. Francofurti 1658. (str. 36)

26 *cc)* Retz de Joan. Franc. Paul. de Gondi Omnibus episcopis, presbyteris et universis filiis ecclesiae. b. m. 1660. (str. 28)

27 *dd)* Animorum in Europa et vicina Asia motus de Suecici belli motu in Polonia. Upsaliae 1656. (str. 75)

28 *ee)* Gabriis Luc. de. Injustitia armorum Suecicorum in Polonos responsione apologetica ad epist. Cyriaci Thrasymachi ad Andr. Nicanorem data, nec non ad brevem et preliminarem enumerationem causarum, ob quas Carolus Gustavus R. Suec. coactus est Reg. Pol. bello adoriri. b. m. 1657. (str. 60)

29 *ff)* Elogium funebre Ser. Caroli Gustavi R. Suec. Gothenburgi in Suecia Februario mense a. 1660 extincti. b. m. i r. (k. n. 14)

30 *gg)* Epitaphium Regni Daniae agonizantis, eiusque inopinata convalescentia et generosa resurrectio ex tumulo. b. m. 1660. (k. n. l. 4)

31 *hh)* Homo politicus auctore Pacifico a Lapide. Cosmopoli 1664. (str. 30)

32 *ii)* Stetget Harip. Conjectio de futuro Romanorum rege promovendo in imperatorem. b. m. 1658. (str. 22)

33 *kk)* Collegium reliquorum Imp. deputatorum ad Collegium electorale de praesenti statu Imp., imperatore eligendo, scribenda lege, annexis aliis. b. m. 1657. (str. 97)

34 *ll)* Responsio ad duo scripta Danica, quorum alterum sub

titulo Juris fecialis armatae Daniae, alterum sub nomine Manifesti exiit. Francofurti 1658. (str. 39)

35 *mm)* Epistola equitis Romani de eligendo rege Romanorum b. m. 1658. (str. 16)

36 *nn)* Brevis informatio et demonstratio, quam injuriosis et calumniosis persuasionibus feliciss. record. Imp. quondam Ferdinandum III. ejusq. filium Ser. Hung. et Boh. Reg. Leopoldum ablegatus Reg. Suec. coram electoribus et statibus imperii emisso in publ. libello accusatorio ruptae pacis insimulare conatus fuerit. b. m. 1658. (k. n. l. 15)

37 *oo)* Scher Mart. Vota Germaniae intranti Austriam obvia Leopoldo. b. m. i r. (k. n. l. 4)

38 *pp)* Biörenklou Math. Memoriale novum in puncto pacis et securitatis publ. quod nomine S. R. M. Sueciae d. 4 Maii a. 1658 exhibitum est S. Rom. Imp. collegio electorali. Francofurti 1658. (str. 7)

39, *rr)* Delirus prodromus in viam reductus. b. m. i r. (str. 6)

Frischmann Johann 40 *ss)* Delirus prodromus. b. m. 1658. (str. 14)

Schultz Peter 41 *tt)* Negeschius Petr. Comparatio inter Claudium Tiberium princ. et Olivarium Cromwellium protectorem. b. m. 1657. (str. 28)

Frischmann Johann 42 *uu)* Classicum belli christiani ad christiani principes omnis adversus christiani nominis hostes Ottomanidas. b. m. 1651. (str. 37)

43, *vv)* Disjectio rejecta sive iterata et constans querelarum Gallicarum discussio. b. m. i r. (str. 22)

Frischmann Johann 44, *yy)* Responsum ad nuperam illam admonitionem Gallo juxta ac Germanico stilo adversus sanctius Christianiss. Regis consilium publicatam ex causa Mardici Anglis belli contra regem catholicum sociis cessi. b. m. 1658. (str. 32) sk. 5. —

Exp. dobrze zachowany tego zbioru pism ulotnych do panowania Jana Kazimierza odnoszących się. Oprawa z wyciskami i klamrami.

1773. Pękalski Petr. De Petri militis per S. Stanislaum epi. Crac. resuscitatione. Cracoviae 1826. 8vo (k. n. 2, str. 23) br. —

1774. Peterek Jan. Wykład systematyczny zarazy bydlęcéj, przez J. N. Kurowski. Warszawa 1833. 8vo (str. 108, tabl.) br. —

1775. Petricius Joan. Innoc. Historia rerum in Polonia gestarum anno 1620. Cracoviae b. r. 4to (k. n. 3, str. 77)
b) Princeps Polonus. Cracoviae 1633. (str. 109) psk. 10. —

1776. — Palaestra oratoria sive Imitatio Ciceronis. Cracoviae 162 4to (k. n. 50) br. 3. —

1777. Piasecki Fel. Wróżka, dramat. Kraków 1861. 8vo (str.) br. —

1778. — Jac. Mythologia Aeneidum P. Virgilii Maronis. Cracoviae 1635. 4to (k. n. 8) br. — 5

1754. Paradoxa koronne publica i privatim potrzebne szlachcicowi polskiemu, napisane r. 1603. Kraków 1853. 8vo (str. XXI k. n. 1, str. 152, k. n. 2) br. — 25

1755. Paritius Christ. Frid. Commentatio brevis ex historia literaria de quibusdam Silesiis eruditis in Polonia muneribus functis. Cracoviae 1816. 4to (str. 24) br. — 40

1756. Parkossius Jac. Antiquissimus de orthographia polonica libellus. Posnaniae 1830. 12mo (str. 99) br. — 50

1757. Parthenay v. A. Geschichte von Pohlen unter der Regierung August II. Mietau 1772. 8vo 2 Ty (I. str. XIV i 508; II. str. 640) p. 2. —

1758. — Histoire de Pologne sous le regne d'Auguste II. La Haye 1733. 8vo 2 Ty (I. str. XXIV i 256; II. str. X i 256) 2. —

1759. Paschacy Andr. Sig. Plausus laetitiae publicae ad triumphalem post victorias reditum serenis. ac invictis. princ. Joannis III. reg. Polon. etc. expressus. Cracoviae 1683. fol. (k. n. 14) br. — 50

1760. Pasternak K. F. Wielki świat małego miasteczka. Wilno 1832. 8vo T. II. (str. 214) br. — 25

1761. Pastorius Joach. Bellum scythico cosacicum etc. Dantisci 1652. 4to (k. n. 8, str. 269, k. n. 1) p. 7. —

1762. — Florus Polonicus, seu Polonicae Historiae epitome nova. Lugd. Batavor. 1641. 16mo (str. 215, k. n. 16) br. 1. —
Brak tytułu, dedykacyi i przedmowy kart 7.

1763. — dtto. Gedani et Francoforti 1679. 16mo (k. n. 22, str. 851, k. n. 20) psk. 2. —

1764. Paszkowski Franc. Mowa miana przy założeniu podstawy mogiły na pomnik Tadeuszowi Kościuszce 1820 r. Kraków b. r. 8vo (str. 12) br. — 25

1765. Paterkula K. Welleja Historia. Warszawa 1830. 8vo (k. n. 1, str. 276) psk. — 50

1766. Pauli Żeg. Pamiętniki do życia i sprawy Samuela i Krzysztofa Zborowskich. Lwów 1846. 8vo (str. XI i 215) br. 1. —

1767. — Pamiętniki o wyprawie chocimskiéj, z rękopismów i druków mniéj znanych. Kraków 1853. 8vo (str. XI i 184, k. n. 1) br. 1. —

1772. Pax Polono-Svecica, per deputatos ad id sereniss. ac potentiss. princip. Poloniae, Sveciae Regum legatos conecta Olivae 1660. 4to (str. 22)

2. b) Pax Germano-Svecica etc. Viennae 1648. (str. 84)

3. c) Wolphius Joh. Pannonia perrorata panegyrice. b. m. 1652. (k. n. l. 10)

4. d) Rewa de Petr. De sacra corona Regni Hungariae. Viennae 1652. (str. 96)

5. e) Copia literarum cujusdem magnae dignationis Poloni Dn. Przimsky ad fratrem suum Dn. Christ. Przimsky Casll. Culm., in quibus amore patriae suae ductus explicat, quid sentiat de tractatu Polonorum cum Austriacis. Cusini 1657. (str. 11)

6. f) Biörenklou Mat. Memoriale iteratum in puncto pacis et securitatis publicae. Francofurti 1658. (str. 12)

7. g) Statera veritatis ad quam responsum Gallicum. b. m. 1658. (str. 27)

Frischman Johan 8. h) Statera veritatem transgressa subversa. b. m. 1658. (str. 19)

9. i) Circa pacem religiosam ficta veraque propositio in Epist. ad D. Baronem. b. m. 1661. (k. n. l. 10)

10. k) Querelae universi cleri in Majori Polonia et Dioec. Posnan. super barbara Austriaci militis insolentia, in Ord. Eccl. et Christ. patrimonium exercita. Posnaniae 1658. (str. 4)

11. l) Olszowski Andr. Expositiones coram eminentis. D. Elect. Moguntin. b. m. 1658. (k. n. l. 2)

12. m) Olszowski Andr. Memoriale nomine S. R. M. Poloniae et Suec. ad S. E. Illustr. S. R. Imp. Electores, Principes et Ordines. b. m. 1658. (str. 4)

Frischmann Johann 13. n) Moguntini labores electorales, praevii et electorii. b. m. 1657. (str. 45)

14. o) Grandmont Ant. et H. de Lionne Memorialia bina, primum ad deputationem statuum ord., posterius ad collegium elect. directa. Francofurti 1658. (str. 15)

15. p) Disjectio brevis illius Gallicarum querelarum discussionis. b. m. 1658. (str. 16)

16. q) Pacificatio Ratisbonensis inter S. C. Maj. et Regem Franciae. b. m. i r. (k. n. l. 8)

niss. ac poen-
gatos conecta

(str. 84)
gyrice. b. m.

i Hungariae.

is Poloni In.
usky Castell.
explicat, quid
cis. Custini

ncto pacis et
)

licum. b. n.

o. m. 1658.

io in Epis.

Dioec. P-
tia, in Or.
niae 165.

is. D. Elec.

M. Polonia
, Principe.

electorii. b

bina, pri
d collegium

discussio-


et Regem

DISJECTIO

Brevis illius

GALLICARUM QUERELARUM

Discussionis.



CIↃ IↃ C LIIX.

Theodorici rescriptum Regis.

JUSTITIÆ NOSTRÆ CONVENIT, UT DE PACTIS CALUMNIAS FIERI NON SINAMUS: ET QUIDQUID PRAVA INTERPRETATIONE TEGITUR, FUGATA MENDACII NUBE REVELEMUS.

Cassiodor. lib. 3, epist. 45.



Cives Imperii,



Concurrite, & vestræ tantò partæ labore succurrite Paci; animam, ni occurratis, acturæ, perfossæ quodam discussionis telo ultra modum venenato; ex caussa vetiti ab eâ hostibus Galliæ auxilij. Percussor est Austriacus quidam; cujus votum, *Pereat Pax, ut Hispanus valeat*: cui sacrum omne profanum, quod non est Hispanicum.

Hic, dum justas Galliæ querelas de illicitâ illâ ope discutere nisus, nimiùm œstro percitus Hispanico, fines mandati excessit, ac ipsam è medio Imperij excussit pacem; *Crimen*, populo judice, *non unâ morte piandum.*

Alij verò, qui hominis meditationes integris inspexerunt animis, quique pacem, quàm bellum, verum, quàm fucum amant, uno affirmant ore

Advocata à discussore querelarum Gallicarum ad Austriacorum patrocinium, contra Gallorum caussam, ipso Pacis instrumento fundatam, fundamento inniti incivili, alieno, nullo.

Incivili, quia cessæ Alsatiæ, & non concessi Hispano, contra Galliam auxilij Austriaci *caussas transactionibus legitimis finitas novis discussionibus resuscitari non oportet*, nec justum est.

Alieno, quia easdem non ex conventu Francofurti acto 1634. sed ex Monasteriensi decreto solenniter concluso, judicari oportet. Non enim nunc quæritur, quæ Regius tùm Legatus, cùm bellum tanto nondum armorum defuncti Regis motu, nec impendiorum auctu flagrarit, dixerit; sed quæ Mimingardefordæ in illa Europæ celebritate moderni Christianissimi Regis Legatis concessa fuerint.

Nullo, quia quidquid *contra acta & transacta Monasteriensia, ullumvè ejus articulum, aut clausulam allegatur*, ipso jure invalidum est, nullumque post se trahit effectum: eliditur enim promta exceptione pacti, æquissimi, ultrò citroque obligatorij, partem alteram plus altera non onerantis. *Quis aspernabitur idem sibi u dici, quod ipse dixit alijs? Nec potest, quod semel utriq; parti placuit, displicere amplius, parte alterâ invitâ. Nihilq; tam congruum fidei humanæ, quàm ea, quæ placuerunt, servare.* Indefensos relinquere Galliæ hostes ab initio erat voluntatis, post tractatum, necessitatis.

Neque verò Christianissimus Galliarum & Navarræ Rex, sed ipse toto in il-

loPacis commercio de alieno liberalis Imperator Alſatiæ ditiones juſto tùm bello
occupatas, poſt à Gallis inſeſſas, ſuis eripuit conſangvineis, & quidem hac, *quâ mire*
ſibi placuit, ut inquit ille, qui interfuit, *Comes Trautmansdorfius*, ſecreta ratione po-
litica, *obtruſas Gallis*, eâdē promtius *operâ placandis*, *eq; media Germania ſubmoven-*
dis, ut omiſſo ejus defendendæ ſtudio, Ordines Imperij, illo nudati auxilio, Imperatoris
arbitrio relinquerentur: hac præterea ſpe, *easdem facile recuperandi*; *ipſumq; Briſa-*
cum veluti obſeſſum iri, reſtitutis quatuor villis Sylvaticis; quas etiam Galli, ante Hi-
ſpani conſenſum Alſatiæ alienationi neceſſarium, reſtituerunt; Pacem Germaniæ ſuis
ante habentes commodis; Auſtriacis malæ fidei calliditate, quâ Noribergæ in ijs
repetendis uſi ſunt, non erubeſcentibus.

Neque etiam Alſatiæ ceſſio à D D. Mediatoribus improbata, aut ad quan-
dam quaſi emtionem reducta fuit: Verùm Trautmansdorfius, cognito, *Gallos hac*
ſua, ut quidam vocabant, *inconſultâ liberalitate ab Ordinum cauſſa non retractos, nec*
ſe apertè poſſe retractare ſemel oblata, inter alios conditionis nexus, & illum de ſol-
venda conceſſæ Alſatiæ ſumma, & de anquirendo trium collegiorum conſenſu
hac ſuper alienatione, adjecit; *ne ejus liberalitas inveniret exitum*, quem repperit
prudentia Gallorum.

Quo autem modo Chriſtianiſſimus Rex utatur conceſſis, non eſt diſcuſſo-
ris diſcutere, nec modum ejus vel facultati eminentiori, vel prudentiæ perſpica-
ciori præſcribere, qui ijs non niſi conceſſo modo utitur. *Nullus* verò *videtur dolo*
facere, qui ſuo jure utitur; Quanquam & *omne bonum, quod poſſidetur, aptum eſto ſuis*
locis, & locorum occaſionibus.

Quibus denique in rebus Regij Legati uti aut debuerint, aut voluerint, Or-
dinum Conſilio ac judicio, meum non eſt enunciare; id verò pro certo hîc affir-
mare auſim;

Diſcuſſorem, qui ſecretorum fuit particeps, & actorum teſtis, nullo modo
ignorare iſta, quæ de arcana ceſſæ Alſatiæ intentione protuli: at malignius, quàm
par eſt, de Gallis, quaſi extortoribus, de ultrò oblatis, quaſi vi exactis, de toto pa-
cis negotio, quaſi vi metuque facto, intempeſtiviùs opinari, clàm admoto ejus a-
bolendæ ſtimulo, non citra crimen pænamque temeratæ pacis, nec extra ſum-
mam animi levitatem. Nam, *quod antea voluit ipſe, nunc reprehendit; quod egit, nunc*
arguit, quod cupijt, nunc culpat; quodq; hîc falsò egit, ſic egit, ut eum populus veraciter
egiſſe exiſtimaret. Sed nihil tale mirandum in homine, qui ſæpius hîc blaſpemiam
hanc auſus eſt effutire; *tractatus quoscunque inter Principes* (forſan Auſtriacos
non durare, *niſi quantum ipſis commodum eſt, & utile*.

Memorandæ hîc ſunt & illæ Auſtriacorum artes ſecretiores, fraudandi hanc
pacis in ipſo conceptionis momento legem de non juvandis, ullo modo, ullove

prætextu

prætextu, Galliæ hostibus. Primò cunctanter, deinde non nisi notarum involucris ea de re prolata Imperatoris sententia: tertiò eandem retegendi deerat clavis: pòst ubi his nihil profectum tergiversationibus, quidam quasi divinitùs inspirati suâ ingenij acie, sine clavi detexit arcanum Cæsaris, tale quidem relatum ad Collegij Electoralis legatos:

Imperatorem dictam non subiturum conditionem, pace nisi hactenus à Gallis promissa, prius eorundem obsignata manu.

Quod illi, quia fidem videbatur lacessere Gallorum, ne idem & ipsam lacesseret habendam pacem, ad Christianissimi legatos Regis referri non sustinuerunt.

Tandem quærebatur aliud illius effugium legis, in facultate conscribendi in Imperio militis, Imperatori æquè ac Imperij ceteris statibus integrâ; quâ sibi eodem Pacis articulo concessa, consequenter & ejus sibi effectus tacitè quasi concessus visus.

Sed nec è re visum præsenti Electorijs proceribus, hunc Gallis indere scrupulum, ne aut in longius traheretur aut distraheretur penitus totum Pacis negotium.

Ergò invalidis omnibus Austriacorum effugijs, lex illa de non juvandis ulla belli ratione hostibus Galliæ, sancita, firmata, obsignata est, unanimi Austriacorum, reliquorumque Imperij statuum consensu planè libero, absque hujusmodi consequentijs, quas Gallorum affingere menti, audacem sibi sumit discussor libertatem; absque ulla restrictione loci, temporis, sociorum, federatorum, feudorum, ulliusvè rationis, salva quidem, qua de quæstio nulla, potestate habendi in Imperio dilectus, at vi legis eatenus restricta, ne fierent contra Galliam & federatos pro hostibus Galliæ, ulla belli controversiæve ratione: secus Gallia ex Pace Germaniæ curata, sibi molem belli, ex tot Austriæ commodis pace acceptis, ingentia regno suo incommoda; ac pænam præmij vice accersisset: quietasset Austriam ut ipsa inquietaret Galliam, ut hanc perderet, hæc illam servasset.

Hoc fide, hoc federe pacis, hoc indignum æquitate, ut Austria quidem, quod petijt, habeat; tot per pactionem redditas urbes incolumes, tanta ex alieno expuncta nomina, Gallia verò & Svecia pacem securam, sinceram, communem non habeant.

Quin imò *integrum vult habere* Gallia unicum illud suum, quod *ex pactis Monasteriensibus præcipuum* credebatur habere, *ne* scil. *Imperator, ullusve Imperii Status, ullo modo, ullo unquam titulo, aut prætextu, vel ullius controversiæ bellive ratione, hostes suos, præsentes aut futuros, armis, pecunia, milite, commeatu, aliterve juvet, aut ullis copijs, quæ contra aliquem huius pacificationis consortem, à quocunque duci contigerit, receptum, stativa, transitum indulgeat.*

Ingens adeò est prævaricatio discussoris, qui operosa, at inani opera, ex veteri constitutione de cogendo in Imperio milite conatur subruere novam istam de non conscribendo contra Galliam, & pro Galliæ hostibus, sicq; neglecta nova lege, veroque Pacis initæ principio, ex veteri ac alieno negare pacem ab Austriacis esse læsam, militemve ab ijsdem auxiliarem missum, sed dimissum ab Hispano ritè conductum; prorsus contra facti veritatem, veritatis solem, videntium fidem, ac attestantium, turmarum ac cohortium Duces non dimissos, sed portis Viennæ saltim egressos, ibidem Legato cum copijs submissos Hispanico, contraq; legem per Imperium ad Galliæ hostes traductos.

Hæc cum ita sint; nihil profectò mendaciloquius, nihil delirum magis, quam ita publicè fatuari: nihil irreverentius, quam legem de non juvandis invicem hostibus, totius Europæ consensu latam ac approbatam dicere *injustam*, & hoc diffamare titulo jurata Pacis decreta: nihil iniquius, quàm minimum hoc, si quod est incommodum, utrique commune parti, tot ex pace partis commodis compensatum non agnoscere: nihil ingratius, quàm acceptam à Gallis quietem vertere in eorum perniciem, contraque Gallorum candorem,

——— ——— *Germanas exhalare per auras*

Liventem nebulam fugientis ab ore veneni.

Nihil denique pervicacius, quàm nolle clara legis verba, ex mente omnium legislatorum aut intelligere, aut interpretari, sed ea in fraudem arripere legis: ex relicta Imperij statibus potestate scribendi militem in Imperio libera, phantasticè concludere: Ergo licet conscriptum educere in servitium Hispaniæ contra Galliam pacificationis consortem, imò arbitram; & sic mendosâ hac à posteriori collectione destruere prius.

Sanè, *nemo uno tempore, aut articulo pacti vult, aut creditur velle contraria.* Gallia noluit imminuere Ordinum Imperij libertatem, immunitatem, privilegia, nec veterés de colligendo in Imperio milite inducere constitutiones, sed *hac sibi lege* cavere voluit ne quid damni inde sibi inferretur, *tàm clarè scripta ac dicta, ut nullo unquam titulo, vel prætextu, vel ullius controversiæ, bellive ratione id sibi fieri posset.* Ergo nec conscripto, aut misso, aut aliter dato, contra se, per Germaniam ex Austria milite.

Quid, quæso, absurdius dici, aut in quo sibi magis potest contradici, quàm isto modo?

Hostes nullo modo invicem juvandi: at juvandi licitè conscripto, aut brevi manu tradito alteri contra alterum milite.

Hisce

Hiſce fundamentis, ut verbis utar diſcuſſoris, juris noviſſimi ac Pacis Monaſterienſis amans, primæ & ſecundæ Auſtriacorum diſcuſſioni ſatisfactum eſſe fatebitur.

Disijciamus nunc tertiam; in qua diſcuſſor dividenda fallaciter compoſuit, uti in prioribus ſaltum in aliud genus fecit; more ſophiſtarum, aut rabularum forenſium, qui cauſſam malam bonis, at non veris rationibus, nec ad rem pertinentibus, nec rectè diſtinctis cauſſæ momentis, tueri ſatagunt.

Primò primum pacti heîc controverſi membrum, non eſt idem ac ſecundum; nec ſecundò eſt reſtrictum ad ullum certum circulum, aut provinciam Imperij feudalem, ſed conſtat in genere generaliſſimo, & in ſignificatione latiſſimâ; quod ſingula pacti verba & ipſe finis docet quàm manifeſtiſſimè: tertiò, Circulus Burgundicus, bella in eo vertentia, inhibita Statuum immixtio, expreſsè ac diſtinctè à priori pacti membro ſunt ſeparata.

Hæc tamen tàm exactè diviſa componit, & in unum chaos confundit diſcuſſor, ut incautos fallat.

Qui enim ita contrahunt; *ut alter alterius hoſtes præſentes aut futuros* (in quacunque futuros provinciâ) *nullo unquam titulo* (ergò non ſolo circuli Burgundici) *aut prætextu* (ergò nec Italiæ, & eorum in eâ feudorum) *nullo modo* (ergò non uno ſaltim modo) *nulla belli ratione* (ergò nec ſocialis) &c. *juvet*, ibi alter alteri promiſit, & alter ſibi cavit plenam ac univerſalem ſecuritatem, non reſtrictivam, non individualem, in qua cautione parva nimis & anguſta eſt ſecuritas. Voluit verò Gallia paciſcens hâc ſibi lege cavere de utraque, Imperator ac Status Imperij promittere, in priori quidem §. iſtius membro de generali aut univerſali, in poſteriori de ſpeciali, ſicuti providus creditor de utraque hypothecâ; ac quidem disjunctim, diſtinctim, non confuſim, eo fine ac intentione, *ut eò ſincerior amicitia mutua ſecuritas inter Paciſcentes ſervaretur.* Secus, ſumma fuiſſet relicta licentia redeundi per ſociorum latera, & ex cauſſa federatorum antiquorum, ad belli injurias, ſumma pacto ineſſet tautologia, idem in utroque dicere membro, in membro utroque dicere idem.

Porrò in pacti odium, ac quaſi paciſcentium injuriam, diſcuſſor hanc de non aſſiſtendo cautelam, vocat. 1. *interdictum.* Planiſſimè. Sed quid inde? abſque hac conditione fundamentali non pepigiſſet Gallia. 2. *à Gallis excogitatum.* ac quamvis eſſet; quis ipſis vertat vitio, ſuæ ſi conſulere hac ratione voluerint ſecuritati? Interim communi paciſcentium, Legatorum Electoralium, Mediatorum, omnium Imperij Ordinum ore hoc prolatum & approbatum. Rectè quidem, & ex pacis federe, *ut ſemina belli undiquaque ac penitus exſtirparentur.* 3. *Cæſaris cervicibus impoſitum.* Hoc ſine pacti, Imperij

Ordinum

Ordinum calumnia, ipsius adeò Imperatoris gravissima ignominia dici nequit, quam qua diluat, ne pœnam luat, ipse discutiat discussor; qui paci Monasteriensi, quæ inimica est Hispano, adeò est adversus, ut ubique captet occasionem vel suum in ea frangendi genuinum, vel eam Imperio reddendi exosam, bellò benè mutandam, sed gerendo vel in tractu Rhenano, vel in Electoratu Brandenburgico, vel in regno Polonico, vel in ipso etiam Imperio Romano-Germanico, excepta Austria, quæ, quo Hispanis subsidio venire possit, securitatem suis in provincijs, in ceteris verò bellum quærit.

Pravè quoq; discussor providam Christianissimi Regis cautelam pro Ducibus Sabaudiæ & Mutinæ instrumento inditam Pacis, torquet adversus generalem de non assistendo pactionem. Quis quæso sanæ mentis colligit ita?

Peculiari cautum clausulâ, ne dictis Ducibus, quod pro Galliæ Rege bellarint, & nunc etiã bellarent, ullum adferat præjudicium. Ergo in priori pacti membro non est universalis cautela de non juvando ullo modo Galliæ hostes. Sunt enim diversæ cautelæ: in prima Gallia sibi universim, & omni modo, in altera, belli in Italia socijs providit: deinde aliud est pacisci de non juvando hoste, aliud de non lædendo socio ob assistentiam, quam præstant Galliæ. Peculiariter quoq; his prospiciendum erat, ob peculiarem belli caussam. Item; Hostes Galliæ præsentes & futuri nullo unquam titulo, aut prætextu &c. sunt juvandi. Ergò, non obstante hoc, titulo ac prætextu Italiæ, ac feudorum in ea Imperialium sunt juvandi: quia Italiæ feuda, non, ut Burgundicus circulus, sunt expressè excepta. Nulla hæc est sequela, nulla sequelæ ratio. Sequela nulla, quia. 1. est contra claram legis sententiam. 2. contra communem juris rationem, qua *hostes* non circumscribuntur certo loco, sed *definiuntur illi, qui nobis, aut quibus nos bellum decrevimus*, quocunque sint loco. Hispanus æquè in Catalonia, Italia, ac in Flandria est hostis Galliæ, æquè utrobique nullo prætextu, nulla belli ratione contra Galliam aut Galliæ federatos ac socios est juvandus.

Sequelæ ratio nulla, quia diversa est circuli Burgundici, bellorum in eo vertentium, quàm Italiæ, & belli in ea ex alia caussa orti ratio: ideo illius facta specialis mentio; hæc sub generali pacto de non subveniendis Galliæ hostibus ullo prætextu, aut respectu, ne federatorum quidem, implicitè comprehensa est. Gallia, pacti tempore, nullum habuit hostem nisi Hispanum, pacto pacis seclusum; post, Hispanum ac Mantuanum, quorum neuter, vi pacti, ab Imperatore juvandus; sed *lex apposita contractui servanda est*.

Hoc verò falsissimum est, Mutinensem prius aggressũ esse Hispanum; Quin imò (nota vulgo res est) Caracena Mediolani regulus ipso mense Februario Anni 1655. Mutinæ Ducem Imperij vasallum, subitò adortus est bello: qui tanto impar hosti, & indefensus à feudi Domino Imperatore, unicum suum in Rege Gal-

lia

liæ, afflictorum patrono Principum, quæsivit refugium; quem quoque *Rex*, qui *nunquam est inhumano animo, neq; male affectus erga afflictos*, auxiliario juvit milite, hostem contra Hispanum, juvit Hispaniæ, non Austriæ hostem, ut servaret Imperij vasallum, à Cæsareo desolatum auxilio, Hispani consanguinei caussa: defendit oppressi ditiones, non invasit in Italia Imperij feuda, ut impudenter audet effutire discussor, qui, dum nimius est commemorandis, quæ Imperator ex Capitulatione Cæsarea hîc rectè egerit, nobis ansam dat, quadruplum in eo docendi peccatum; primum, non defenso Vasallo contra Vasallum, minore contra majorem: secundum, defenso Hispano aggressore: annè Hispanus magis Imperij illis in locis Vasallus est, quia major est & propinquior? veluti tunicâ pallio propior? aut caussa aggressoris favorabilior læso, quia utilior? tertium, missis sub nomine & signo Imperatorio in Italiam copijs, contra claram novæ legis literam; anne Mutinensis contumacia delata, nondum probata, statim illud Medusæ caput Imperatorio terrore, feudali jure munitum, obvertendum Principi ac vasallo Imperij, Galliæ amico, socio, Hispani caussa? quartum, cunctis his, quanquam non Imperij, sed Austriæ viribus, Imperatoria tamen autoritate susceptis, absque præscitu, & Consilio Collegij Electoralis, ipsam contra Capitulationis legem, qua non minus, ac ista sanctione pragmatica, tenebatur cum Rege Christianissimo amico vicino (non, ut iste ait, hoste externo) sinceram amicitiam, acceptam pacem colere, nihil tale cōmittere, unde istæ natæ querelæ, contentiones, altercationes, aut in bellum emersuræ apertum, aut novi Imp. electionem tardantes, & justa de caussa onerantes. Nonnè fuisset prudentius, tantam rem, ut par erat, prius, in consilium Electorum mittere, ea ne illæsis pace & Capitulatione fieri possit nec ne, quàm inscijs & inconsultis illis, suo, aut potius Hispani lubitu, exsequi? nunc verò post vulneratam pacem, ne remedia quidem, sed effugia quærere, mera belli incendia, vano prætextu defendendorum in Italia feudorum non periclitantium, ac etiamsi periclitarentur; nihil ad Imperium pertinet, à quovis possideantur, dummodò jura servet sua Imperio.

Neque ea propter pax temeranda est, quæ Imperialis feudi nomen inane, onus Imperij nullum sustinent; Mediolanense verò ne recognitionē quidem hactenus. Si tamen ea propter ita insanire libet, agedum & dubiæ Martis aleæ subdita sunto cuncta Austriæ restituta, ni satisfiat aliter.

At magisne necessarium est Austrio, vetitis pace auxilijs Hispanum, quàm Imperium, bellum, quam pacem fovere, imò hanc subvertere Hispani caussa? Tantinè est præsumtum illud, in præsens non intentatum, amittendi Mediolani periculum, aut spes illa successionis ut Imperium novo involvatur bello?

Qui rem, ut est, integro expendunt judicio, rectè asseverant;

Intempestivis & illicitis istis auxiliis, nimia Hispanorum in Austriacos autoritate, nimioq; Austriacorum in Hispanos obsequio, peccatum fuisse in fidem, in pacem, in Imperium, in amicos, in bonum publicum: erratum summopere in prudentia, non prævisio iniqui facti eventu: *curata reduvia, ubi capiti medendum fuisset.*

Reliqua, quæ hîc tanto profert discussor hiatu, suâ hiant falsitate.

Dicit, à Gallis rapi Mediolanum, sit ita; in eo ducatu hostes suos bello persequi coguntur, parati, si expellerent, Imperij Jura & honorem agnoscere & tueri.

Sed falsum, à Gallis cum Italiæ Principibus conspirationes iniri, qui implorati eorum subveniunt incolumitati adversus insidiantem Hispanum.

Falsum, nullam belli superioris caussam Gallo datam, oppressis, qui in ejus fide ac clientela erant, Germaniæ Principibus, ut referre supersedeam rationes alias multas, Reipublicæ approbatas & vulgatas.

Falsum, nullam ab Archiduce motam offensionem, nullam bello additam materiem, Rhætis Galliæ federatis, vano quidem læsi in Rhætia juris sui obtentu, miserè afflictis, locorum incendio, commerciorum interdicto, servitutis jugo.

Falsum, nullas in cõsilio Austriaco esse partes Hispano, qui in eo id hactenus obtinuit, ut sui juvandi caussa, fides jurata, fuerit violata; pax sancita, lacessita; electio novi Imp. publicata, dilata; Germania vix pacata, non parum turbata, ac nisi occurratur, Hispani caussa, bello internicino conflagratura sit.

Monasterij igitur nonnè soli cessum ab Austriacis tempori, donec bello amissa per pacem recuperarentur? quibus receptis, resumta Hispani consilia de mittendis in Flandriam ac Italiam copijs.

Quis nescit, tam præpotentem fuisse Ognati Comitem in aula ac consilio Ferdinandi II. ut ejus obviam ire sententiæ nemo auderet. Ejus nutu nutus, consilia, respõsa, decreta Imperatoris velut obnoxij regebantur, capiebantur, dabantur, expediebantur. Ejus prima ac ultima in deliberationibus vox erat, *Esto quiero, esto non quiero.*

Sed quid non corradit Doctor Iste Magnificus (hic enim ipsi titulus, non Illustrissimis tanti Monarchæ Legatis, congruit;) quo cuncta pacis decreta, data, concessa, vel in Galli invidiam, vel in pacis opprobrium trahat, imò eandem, si, ut velit, possit, penitus aboleat, Imperium, vicinos undique reges bello involvat, dummodò tam charo sibi Hispano Austriaca vetita constent auxilia.

Hinc resuscitat pace sopitas de bonis Ecclesiasticis lites; imputat impudenter Episcopatus aliò transmissos, pacemvè protractam à Gallo, qui primus Pacem dedit,

dedit, oblata [illegible]it, Episcopatus, Archiepiscopatus reddidit; sociorum verò ac Ordinum caussam, nisi unâ compositam, deserere noluit. Nonne id potius Austriæ expensum ferat? quæ illas Ecclesiæ fortunas, Archiepiscopatus, Episcopatus hac ipsa transactione effudit, sacra profana fecit, ut sua servaret integra, & illibata.

Audacius objectat eidem nondum solutam pro cessa Alsatia promissam pecuniæ summam; gemino hactenus dolo eorum factum, quo minus repræsentata fuerit: *uno* Norībergæ, extorsis per callidè subornatam Statuum quorundam intercessionem quatuor civitatibus Sylvaticis, ante Hispani de cessa Alsatia consensum: quibus securitatis pignoribus, exsequendæ pacis studio, dimissis, nemo bonus non laudabit Gallorum providentiam, si paratam pecuniam, nisi facta ab Hispano renunciatione cessæ Alsatiæ, non numerent, eamque pignoris quasi loco, aut damni injuria dati retineant: *altero*, dum primò sibi, deinde alijs persuadere volunt; Imperatorem saltim diligentiam curandæ illius cessionis, non ipsam cessionem stipulatum; quâ probatâ, ab omni non solum nexu promissi nunc esse liberum, sed ne ullam aliam obligationem superesse necessariam, quia generali Pacis guarantia Gallia cessæ Alsatiæ secura esse potest. Tricæ, Apinæ, & si quid vilius istis!

Fallitur profectò Doctor iste juris, si isto vult modo fallere Gallos, nunquam persuadendos, *maiorem esse in generali, aut personali, quàm in speciali, aut reali securitate certitudinem*; & si ipse, qui asserendo sui Hispani auxilio, cuncta Pacis conatur evertere, tantum validi in illa generali guarantia repositum habet, cur vim ejus nuper non explicuit pro reparanda Bremeforda, & inhibenda suo Hispano ope? cur suo eam consilio contra Pacis turbatores sustulit?

Ingratius quoque (ne benè de Austria merito agat gratias pro tam locupletissimo ex Pace recepto beneficio) Gallo belli mala ac damna adscribit, quasi à suo, nec majora ab Austriaco data fuerint exercitu: exprobrat imperiosius simul ac invidiosius ipsis Germaniæ Principibus, quod pro tempestivis Gallorum subsidijs aliquod colligi sustinuerint redhostimentum copiarum contra dominationem in Germania Austriaco-Hispanicam, quæ quondam Ulricum Wirtenbergicum ter Ducatu exuit suo, in Ferdinandum I. translato, Francisci. I. suppetijs restituto; eadem Germaniæ Principes ad Albim cæsos, Saxonem & Hassum captos, afflixit, quos Heinricus II. erexit: eadem Brandenburgicum successione Ducatus Juliacensis depulit, cui Regina tum Galliæ Regnatrix, misso subvenit exercitu: eadem denique Palatini, ceterorumque Principum dignitatem, libertatem, bona, nupero attrivit bello, quos Ludovici XIII. XIV. Galliæ Reges, locupletarunt, asserta libertate, bonis restitutis, pace omnibus reddita, sanctè expedita,

religioſius cuſtoditâ hactenus. Teſtatur promtam Pacis exſecutionem Gallicam
conventus Norinbergenſis, & in eo reſtitutæ ante Hiſpani conſenſum, remiſsâ
Statuum guarantia, quatuor civitates ſylveſtres, ipſa arx Horburgum ante tempus
præſidio ſolutum Gallico, mox ceteræ in Alſatia & tractu Rheni civitates, ſuæ
quæque termino.

Qua verò fronte diſcuſſor iſte confert in Gallos culpam Lotharingicorum
præſidiariorum, qui Gallo non militant, neq; à Gallo additi dictis caſtris custo-
des, aut commiſſa ab Harcurtio dubijs temporibus? Annon quilibet caſtri præ-
fectus, aut Briſaci Gubernator jure, ut ajunt, fortalitij, proxima quæque, unde
periculum imminet, disijcere, aliaque, quæ diſcuſſor hic exprobat, expedire
poteſt?

Nonne Archidux, poſſeſſor adhuc Briſaci, eodem uſus jure, in agro Wirten-
bergico Comitatus Horburgenſis, exterius Briſaci vallum molitus eſt, contra a-
lieni ſoli leges, abſque ullo redhoſtimento?

Cur denique ſolus Galliæ Rex, qui, quamdiu Hiſpani de ea pendet conſen-
ſus, vix quietè poſſidet Alſatiam, æris alieni in Camera Enſishemiana contracti,
nedum liquidi, partem expungat ſuam, cùm nec Auſtriacus, nec ullus Imperij
Status ſolvendi nuperas Imperij leges exſequatur?

Tandem Hiſpanicus iſte diſcuſſor, qui odio Gallos odit plusquam Vatini-
ano, hoc eſt, Hiſpanico, refugitque, quo Galli poſuere, ponere pedem, ex Hel-
vetiorum ac Ottomannicorum fœdere ſpargit nebulas officiendis, ſcil. Gallo-
rum luminibus. Fruſtrà. Primò enim fœdera ignorant nationum & religionum di-
ſcrimina: ſecundo fœdus Auſtriacum, additâ illâ, quam adfert diſcuſſor, reſtrictio-
ne, per Gallicum cum Helvetijs, nec interceptum, nec excluſum dici poteſt; quin
potius Gallicũ per Auſtriaco-Hiſpanicũ, quod an. 1557. Philippũ II. inter & Hel-
vetiorũ pagos Catholicos ictũ à Fuentis Comite, Mediolani regulo, ſpecie quidẽ
defendẽdi Mediolani, conſilio verò Helvetios, Rhætos, Valle Telinianos à fœdere
Gallico avertendi ad Auſtriaco-Hiſpanos, non pari fœderis habitâ Gallici ratio-
ne: tertiò, *Omnis homo*, cujus in cenſu ſunt quoque Reges, *à quovis homine, ubi
opus eſt, beneficium, aut auxilium accipere poteſt*. Neceſſitas, quæ nec Regem habet
nec legem, cogit accipere, etiam à Turca. Cur ergò diſcuſſor iſte frigidè garrulus
tale quid, quod non ad rem hanc, carpit? demùm initum, regijs ad Padum cæſis à
Cæſareanis, ijsdemque tripartitito agmine Germanorum, Hiſpanorum, Anglo-
rum adortis Galliam, Utrum, quæſo, *horrendum magis*, fœdus cum Turca inire in
extremæ caſu neceſſitatis, an fidem fallere Turcæ cum caſu ſuorum miſerabili ac
perpetua Chriſtianæ perfidiæ infamia? quanquam, quàm fœdus pax magis cum
Turca inita à Rege Chriſtianiſſimo; ut Chriſtianus in Oriente populus in ſecu-
riori foret clientela Turcæ. Quæ gloria nulli hactenus Regum, ac ne Hiſpano, im-
penſius quamvis ambienti contigit, ſoli Galliarum Regi propria, Chriſtianorum

per

per universum orbē protectori. Quartò, prævisū Galliæ, se Monasterij ab Austria sollicitatā ad fœdus contra Turcam, non Orbis Christiani, sed suo ac Hispani bono; quò ipsa, quæ citra Pacis læsionem Hispano subvenire se non posse videbat, hac id arte, ac per indirectum, & citra pacis injuriam præstaret, distractis Galliæ adversus Turcam viribus; deinde eô invento, ac aliena potentia volebat Austria obtinere, quod sua non poterat, in sui tamen, quàm Galli commodum. Porro, bello Imperatorem inter Occidentem & Orientem exorto nullo, necquidquam cæpta illa belli societas, imò exitiosa fuisset Christianis Orientalibus, omnia inde adversa experturis, loco pacis hactenus & clientelæ Turcicæ; tandem, pace cum Hispano nondum coalita, ipsi gravis Galliæ, vix utrique hosti suffecturæ. Hac de caussa, non quam sibi fingit discussor, ista conditione Austriaca Gallia uti noluit.

Quanquam discussori proclivius, Gallo-Svecis ingerere convitia quàm eorundem agnoscere beneficia; potioremve ipsis acceptam referre partem Bohemiæ restitutæ, non asserto Bohemis eligendi Regis jure, cui quidam apud Oxenstirnium ac Salvium insistebant; & ea tum erat rerum ratio, ut sola petitio necessitatem consensionis Austriacis indidisset; Orbi tamen Christiano non sunt ignota officia, quæ Regiæ Legationis Dux Angulemius in Ungariæ ac Bohemiæ motibus susceperit in commodum Imperatoris, penè tunc desolati auxilio, & intercidentis, obsequio subjectorum undique pereunte, exercitu ejus valdè viribus elanguescente: Et, si tempestate illâ vicini Reges majorem utilitatis, Germaniæ Principes libertatis, quàm alterius considerationis rationem habuissent, aut Coronæ federatæ in nupero bello uti voluissent occasione ac fortuna sua, alia nunc foret rerum Austriacarum facies.

Parùm verò est, discussor, pacem labefacias turbator Germaniæ, bene meritis maledicas obtrectator Galliæ ac Sveciæ, nisi & audacius eas ereptum Regi Christianissimo *illud in regno suo beatissimum, quod nihil cogitur*: nisi impudico ac mendacissimo ore ausis differre intemeratū hactenus, ac ipsa antiquitate lætū jus regni Galliæ prorsus hæreditarium, in quo ex lege Salica Rex Galliæ nascitur, non sumitur, non adoptatur, non eligitur; imò nunquam moritur, quia ex dictâ lege le mort saisit le vif. Ubi *rex auditur, plenâ prorsus jubendi potestate, non quadam svadendi autoritate.*

Scilicet & in hoc Hispanicus es; qui jus Regis successorium in dubium vocare, electionem Ordinibus regni arrogare satagis, ad vetus & explosum exemplum Ducis Feriæ Legati quondam Hispaniæ in factiosa Galliâ, cui Ordines regni, facto senatus consulto, obstitere, tantum abfuit, ut unquam jus liberæ electionis usurpare voluerint, aut debuerint.

Hîc iterum, longo ex intervallo, redit discussor iste ad causam belli Mutinensis, quam suprà attigimus, quamque hic repetere, & ogganire tædiosum ac superfluum.

 Notum

Notum enim, quid cuique, vel vi constitutionum Imperialium, vel jure gentium, liceat, & quid jure pacis novissimæ non liceat, quia nova præ veteribus coluntur, generi per speciem derogatur, ac per posteriora prioribus.

Pacis interea instrumentum, communisque Christiani Orbis salus, non jubet ceteros Imperij Ordines esse otiosos spectatores, sed prohibet bellis inter Reges vertentibus immisceri; non verò prohibet controversias inter eos, & inde exorta, inque tot annos jam tracta bella, æquis conditionibus sopiri: imò, quia nemini permissum, eorum se bellis immiscere, tacitè jussum, eorum se dare medios componendæ paci, quam Gallus, sed communem, universam, sinceram Monasterii speravit, Madriti desideravit, Francofurti expectavit hactenus: Hispanus verò eam Monasterij primò velle simulavit, post, ex causa Lotharingi & Lusitani, mox pacis Batavicæ, tùm exorti in Gallia motus, noluit, Legati sui oraculo, *Rebus Galliæ mutatis, mutandum Pacis negotium.*: Madriti autem eandem, ex alia caussa, forsan in sui malum distulit; heîc Francofurti diu expectatus non apparuit, spe fœderis vindicativi illectus; tandem huc venit, non faciendæ cum Gallo paci, sed, prævio isto discussore querelarum Gallicarum, belli buccinatore, Paci Germaniæ destruendæ; subversa ejus ab eodem discussore firmitudine præcipuâ, jurejurando, quo Pacem Monasteriensem firmatam negat, supinâ ne an voluntaria jurisjurandi inscitiâ, an maligno belli flabello?

Nonnè *jusjurandum est affirmatio religiosa?* nonnè consensus in mutuæ pacis & amicitiæ leges factus *in nomine SS. & individuæ Trinitatis, ac post invocatum divini Numinis auxilium*, *conclusus, & ad divini Numinis gloriam & Christianæ Reipublicæ salutem directus*, est religiosa assertio ac promissio? *Quod* autem *affirmatè*, *quasi Deo teste, promiseris, id tenendum est*, quia *ad justitiam & fidem*, *imò etiam ad iram Dei pertinet, nisi juramento steteris.* Nil verè interest, juramentum scripto, aut verbo, expressisve jurisjurandi formulis exprimi. *Quæ jurat, mens est.* Nonnè Regum, Principum, Nobilium, data sola dextra fidesque, impressum promisso sigillum, ac *viri boni oratio pro juramento est*, ac sit, *firmo, immutabili, fallere nescio?* Sed discussor iste jurisconsultos, maximam partem inconsultæ conscientiæ, non ipsos jurantes jurisjurandi judices facit, ut pravo eorum hominum judicio perfidia jurantium tutior sit, excusatior Austriacorum; quorum de juramentis nuper Nobilis Polonus in Epistola ad cognatum suum ita scribit: *Ne quidem est, quod arbitreris, reverentia illius jurisjurandi, quo libertati Reipublicæ cavent apud nos Reges, nihil adversi Austriacum moliturum. Iuraverunt enim Bohemis, & Vngaris, sanctèque Austriacis populis sunt prisca omnia polliciti, qui hunc antecesserunt, duo Ferdinandi; & tamen clarè palamvè prisca populorum jura destruxerunt. Quanto conamine, quantis viribus, quanta pertinaciâ universæ Germaniæ extremam servitutem hujus*

Leopol-

Leopoldi avus, Cæsar potentissimus, contra pacta conventa, & datam Electoribus fidem, intendit!

Jurisjurandi formula peculiaris, quam si integram scivisset, ad invidiam Gallorum, discussor divulgasset, inter stipulantes hîc nominatos, religione dispares, necessaria prorsus erat, jure innixa gentium sibi invicem spondentium.

Tandem, postquam jam non triennium, sed penè decennium currit, ex quo Pax Imperij, Hispani caussa ab Austria læsa est, rectè & ex lege Pacis Illustrissimi Galliarum Regis Legati hanc læsionem ad Collegium Imperiale Francofurti coactum retulerunt, tanquam ad conventum publicum, ex celeberrimis Electorum, Principum, Civitatum deputatis, pacis exsequendæ, securitatis servandæ custodibus, compositum, cognoscendo de ijs, in quibus publica salus imperij ac tranquillitas sita est; quæ ab Imperatore, aut domo Austriaca, tanquam parte rea, cognosci non poterant, nec ab Electoribus solis suscipi; nisi datâ reliquis imperij Ordinibus, qui de talibus deliberandi jus quoddam ex pacto habent, cautione idonea de damno inde emersuro: unde & hodie providentissimi Electores, pacis servandæ amantissimi, illis ipsis ordinibus præsentibus, & monita sua in medium proferentibus ea de re consultant.

In fine hujus discussionis disjiciendæ & explodendæ sunt annexæ discussoris responsiones, audaces, quia ad eum non pertinet rei cognitio; falsæ, quia nullo innituntur fundamento, nec juris nec rationis; incongruæ, quia juri publico repugnant, maxime, quod ipse subvertat, novissimo; superfluæ, quia Serenissimi Electores hoc ipso die occupati sunt in illa re rectius decidenda, læsa fide reparanda, ne fides, ne pax in posterum frangatur ullo prætextu, ulla turbidi Hispani, aut discussoris expostulatione, vel contra Galliam, ejusque federatos ulla hostilitas exerceatur. Prudentissimi quippe Senatores S. R. I. expensis rei momentis, benè intelligunt, meliorem ac favorabiliorem esse Gallorũ & Svecorum caussam, qui pro pace servanda, & ex pacto pacis, quàm qui contra utrumque, qui pro custodienda sibi fide, quàm qui de lædenda agunt, qui de damno dato queruntur, quàm qui dandum quærunt; qui de eo vitando, quàm qui de lucro captando solliciti sunt, cum alterius injuria, & jactura, ruina Imperij, calamitate tot innocentium, idque unici caussa Hispani, quo cum Imperio Romano-Germanico nihil est commercij, quem Germania res sibi suas suo in regno occiduo habere jubet, se verò sua uti frui pace sinat.

Cujus ipse, ac patriæ meæ amantissimus hæc ipsa præludia, ut amor & gaudium utriusque tulit, necessitas requisivit, ex tempore, contra discussorem, Pacis turbatorem, pro conservanda pace Imq; scribenda, expeditiora Gallis, quos ea res propius tangit, & quibus sua notiora, discussori, qui numen individuæ Trinitatis

testem

testem pacis istius offendit, pænitentiam facti, illis vero, qui bellum, quàm pacem malûnt, duo ista relinquenda monita ratus;

Unum.

Quidquid inopinum accidere potest in bello, priusquam aggrediare, considera: cum tuas vires, tum vim fortunæ, Martemq; communem propone animo.

Alterum.

Hic est perpetuus seclorum lusus & usus,
Ludendi ut faciat consumta pecunia finem:
Sic ubi vastatæ gentes lacrymantur & urbes,
Aurea tum demum feriuntur fœdera Pacis.
Heu quantò satius foret, hæc prævertere damna,
Atq; animos regum salvis coalescere rebus!

F I N I S.



1. Pax Pax polono-svecica Olivae d. 3 Maja 1660
2 Pax Germano-svecica Monasterii Westphalorum 24 pacis 1648.
3 Pannonia perorata etc p Joh: Wolff 1652
4 De sacra corona regni Hungariae ortu etc Petri de Reva 1652



